

Henich dictus Schenczin a nobis in feodo tenuit et ad manus nostras libere resignavit, cuius areae et mansi possessor Petrus dictus Pigwis solvit ac solvere consuevit in festo beatae Walpurgae singulis annis triginta grossos cum una sexagena ovorum et in festo beati Michaelis similiter triginta grossos cum quatuor pullis, cum omnibus iuribus, fructibus, utilitatibus et emolumentis, quae eidem manso et areae insunt vel inesse poterunt in futurum, ad hunc finem, quod anniversarius honorabilis viri domini Johannis de Strelis, quondam praepositi in ecclesia Mynsensi vigiliis et missa more solito peragatur et in eodem praedicta sexagena grossorum canonicis integratis et vicariis perpetuis et temporalibus, canonicis videlicet duae partes, et tertia vicariis et sociis in vigiliis et in missa duntaxat praesentibus, solutis exinde decima hospitali et campanatoris pretio more solito ministretur, praehabita super eodem maturo consilio et deliberatione diligenti, resignatione facta ecclesiae Mynsensi cum omnibus iuribus ac pertinentiis, iudicio haereditario, utilitate et honore — sicut praedictus Heynich Schenczin dictum mansum, aream et censum a nobis hactenus habuit et possedit, donavimus — et appropriamus — proprietatis titulo perpetuo possidendum. In quorum omnium testimonium sigilla nostra praesentibus duximus appendenda. Actum et datum anno dom. millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, nona die mensis Februarii, praesentibus nobilibus, strennuis et validis viris dominis Henrico de Swarczburg comite, Hermanno de Maltiez milite, Jenchino de Slynicz, Johanne de Thubenheim, Nicolao de Wydebech, Johanne de Stuchow et aliis pluribus fide dignis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen wie No 515.

No. 560. 1366. 11. Febr.

Der Offizial der Probstei entscheidet einen Rechtsstreit zwischen dem Verwalter des ewigen Lichtes im Chor der Domkirche und zwei Hausbesitzern in der Burggasse zu Meissen wegen nicht vollständig gezahlter Erbzinsen.

In nomine domini amen. Nos Theodoricus officialis praepositurae Misnensis cognoscentes causam et iudicialiter examinantes inter honorabilem virum dominum Hermannum de Nova Civitate perpetuum vicarium ecclesiae Misnensis, provisorem perpetui luminis in choro Misnensi, super censu annuo trium lothonum Fribergensis monetae ad dictum perpetuum lumen pertinente de area et domibus, quas Henricus cultellifaber dictus Sunne et Conradus dictus Reinsperg inhabitant in platea castrali Misnensi in acie sub castro sitis hactenus diminute soluto, actorem ex una, et dictos reos parte ex altera, petitione summaria proposita, litis contestatione facta, receptis probationibus et munimentis, quibus dictae partes in causa huiusmodi uti voluerunt, conclusoque in eadem, visis insuper omnibus productis probatis et allegatis, quia invenimus dictum actorem intentionem suam bene fundasse et sufficienter probasse, ideoque habito nobiscum desuper iurisperitorum consilio, dei nomine invocato ipsum solum prae oculis habentes, hodierna die ad audiendam sententiam diffinitivam assignata et ipsis partibus propter hoc coram nobis constitutis et ipsam ferri poscen-